





## TAB·MO·HISPAN



ABVLA secunda Europæ, de Hispania satis dictū esset, ne tamē aliquid in nostro opere vacuū maneat, paucula de moribus Hispanorum subsequuntur. Hispanorum femine res domesticas agrorumq; culturas administrant, ipsi vero armis & rapinis inserviunt. Breui utuntur veste, ac nigra, lanam habente similem caprarum pilis. Peltæ in bello paruas, ex neruis confectas, quibus tegatur corpus habent, his in bello ea agilitate utuntur, ut et ictus & sagittas evitent, laculis ferreis hamatisq; utunt, galeas ferunt ereas, cristatis palmis, gladios ex ferro puro, ad palmi mensuram, quibus in conserta utuntur pugna. Ferrum suo more ad conficienda arma preparant. Nam ferreas laminas in terrâ abscondentes, ibi tam diu esse sinunt, quoad debiliori parte ferrugine absumpta, validior supersit, ex eo tum enses fortissimos, tum cetera ad belli usum arma necessaria componunt. Hoc pacto fabricata, adeo cedunt omnia, ut neq; scutum, neq; galea, neq; aliud ququam sit, quod eis obstitat. Duobus gladijs fulti, cum equestri certamine superiores evaserint, ex equis desiliunt, & pedestri adiuvant pugnam. laculis longe iaciunt, & summa arte, in acie diutius perseverant, mobili corpore, levisq; ut facile fugiant hostem, et insequantur. Bella ad numerum aggrediuntur, hosti obviant cantando. In pace choreas levi saltu exercent, cum quadam crurum agilitate. Erga nepharios homines atq; hostes crudeles sunt, cum advenis humani atq; hospitales, advenientes enim externos, hospitio benigne recipiunt, adeo ut emulatione quadam pro illorum honore certent. Quos advenis sequuntur, hos laudant, amicosq; deorum putant. Mulieres ferrea monilia collo gerunt, supra verticem cornuos incurvos habentia, et ante frontem longius incumbentes, ad quos cum velint, velum attrahunt, ut extantum, faciei umbraculum prebeat, idq; ipse pro maximo ducunt ornamento. Quadam ite in parte tympanulum circumducitur, ad posterioresq; in occipite nervos capiti usq; ad auriculas adstrictum, in altum latumq; supinatur. Alię sinciput expulatum enudant, adeo ut amplius quam frons ipsa pateat. Alique impositum ad pedis mensuram, in sublime stilum erigunt, cumque sari circumtextum, deinde pileo nigra exornant. 30